DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

SAMUEL ADDISON,

ANGLUS,

Chirurg. Obſtet. Societ. Edin. Soc. Honorar.

Hibernic. Med. Societ. Edin. Soc. Honorar.

"*A wolf now gnaws him, now a ſerpent ſtings.*"

THOM.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

30
58
OCT

PATER A ANTISSIME CARISSIMEQUE,

JONAS ADDISON,

ARMIGER,

A CUJUS

Sum ſanguine cretus;

QUI,

Natali ab hora, ad hunc uſque diem,

Me

Veſtro genitum ſanguine

Pignora certa, timendo,

Dediſti;

Teque

Pátrio patrem eſſe metu

Probaſti;

A QUOQUE,

Niſi vero nomine poenam poſcens,

Nullam fui unquam paſſus repulſam:

" Serus in coelum redeas, diuque"

Laetus tuis liberis interſis et amicis;

Haſque

Paterno accipias animo

Medicinae ſtudii primitias,

Quas,

Academico nunc tandem curſu peracto,

Filius tibi obſequentiſſimus,

Summa erga te genitorem pietate reverentiaque,

Offero,

SAMUEL ADDISON.

GULIELMO CULLENO, M. D.

In Academia Edinburgena
Medicinae Practicae Profeſſori,
Apud Scotos Medico Reg. Primario,
Col. Med. Reg. Edin. Soc.
Societ. Reg. Lond. et Edin. Sod.
Societ. Med. Phyſ. Edin. Soc. &c. &c.

QUI,

Medicina rudi adhuc indigeſtaque mole,
Alioque in ea aliis obſtante,
Tota fere lucis egente Chao;
Diſcordibus non bene junctarum rerum ſeminibus
Evolutis, caecoque exemptis acervo,
Et lucidum dedit ordinem,
Et concordi pace ligavit:

QUIQUE,

" Scire poteſtates herbarum uſumque medendi"
Summo cupiens ſtudio;
APPOLLINE Duce,
Ingente febrium caeterorumque morborum cohorte,

Quae,

Ex quo tempore,
" Audax IAPETI Genus
" Ignem fraude mala gentibus intulit,"
Incubuit terris,
Laborantibus medicinam,
Multos per annos,
Peritiſſime adhibuit fauſtiſſimeque:
Animi
Maximis beneficii vinculis
Obſtricti
Signum,
Hoc, quale ſit cunque, Tentamen
D. D. CQUE

SAMUEL ADDISON.

JACOBO HAMILTON, M.D. C.R.M.E.S.

REGII NOSOCOMII EDINENSIS

MEDICO PRIMARIO,

Praestante viro humanitate,

Et Artis APPOLLINARIS perito;

QUEM

Voluntariae voces ingenitam ejus benignitatem laudantium,

HOMINEM,

A quo nihil humanum est alienum,

Sonant insigniuntque:

CUIQUE

" Justitiae soror

" Incorrupta Fides, nudaque veritas,

" Quando ullum invenient parem ?"

SAMUEL ADDISON,

Spirans qui haud vivet immemor,

Quam volucris fati is tardaverit alas,

HUNCQUE febre implicitum faucibus abripuerit ORCI;

Hocce, quantulum sit cunque, testimonium,

Grato animo benevolentissimoque,

Lubentissime

Offert.

JOANNI AITKEN, M.D.

COL. CHIRURG. REG. EDIN. SOC.

REGII NOSOCOMII EDINBURGENSI

Chirurgorum

Uni;

Chirurg. Obſtet. Societ. Edin. Praeſ. Honor.

Reg. Med. Societ. et Reg. Phyſ. Societ. Edin. Soc.

Antiquor. Studioſ. Societ. Soc.

Cultori APPOLLINIS ſtudioſo;

Anatomicae Artiſque Obſtetriciae peritia,

Domi peregreque,

Inſignito:

Animi,

Multa ob beneficia praeceptaque

Grati,

Parvum hoc teſtimonium,

Summa obſervantia

Benevolus dat Diſcipulus

SAMUEL ADDISON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

HUNC morbum celeberrimus CULLENUS verbis sequentibus luculenter definit: "Morbus ab "externa et plerumque evidente causa; pyrexia; do- "lor circa articulos, musculorum tractum sequens, ge- "nua et reliquos majores, potius quam pedum vel "manuum articulos, infestans, calore externo auctus."

A HIS-

HISTORIA.

Rheumatismum eos qui frigidas incolunt regiones, multo, quam qui calidas, saepius invadere, omnes auctores uno ore consentiunt. Impetum usitatissime facit autumnalibus vernisque temporibus; veruntamen, ut nonnulli ferunt, ullo anni tempore, vicissitudinibus caloris et frigoris subitaneis crebrisque, hoc morbo ab utroque quidem sexu laboretur. Qui sunt impuberes, et qui, juvenilibus virilibusque annis exactis, senescunt, ii hoc morbo rarissime torquentur. Potius eos affligere gaudet, qui pubertatem adepti, triginta quinque aetatis annos nondum complerunt. Septimo autem Lustro condito, mitescit hicce morbus; et evanescit omnino, obrepente senectute. Nulli corporis habitui, sed, prae caeteris, sanguineo rarissime, hoc morbo immuni esse licet.

Rheumatismo incipiente, aegrotus Languore, Frigore, Rigoribusque afficitur; quorum in locum, Calor, Sitis, Molestiae

Moleſtiae Senſus; atque potiſſimum Arteriarum Pulſus plenus, creber, duruſque, brevi ſubeunt. Morbo laborans quoque Vertigine, Nauſea, interdum et Dyſpnoea, infeſtatur; et, omnigenum fere cibum faſtidiens, noctem inſomnem agit. Areſcit Lingua, et villoſa quaſi pellicula ſubalbidi coloris obtegitur.

Eodem tempore acuti dolores, et, aegroto ſentiente, quaſi pulſantes, Artus, praeſertim majores, excruciant; indeque ſeſe, per Aponeuroſin Tendineam, diffundentes, curſu, quo tendunt muſculi, propagantur. Interdum unum tantum artum, ſaepius autem complures ſimul, afficiunt; et aliquando fugaces ſeu vagi, qua ratione ſeſe, uno in artu, remiſerint, eadem alibi fiunt graviores.

Febris ſigna noctu graveſcunt; et dolores, ſtragulorum calore exacerbati, aegrotum, ſeſe quantulumcunque moventem, excruciant. Urina, morbo primo invadente, ſubrubro eſt colore; aliquid autem ſedimenti raro, febre nondum multò remiſſiore, ſubſidit. Alvus plerumque aſtricta eſt. Interdum quoque Sudores, initio morbi,

morbi, erumpunt; ſed nec totam cutem humectant, nec acerbos dolores, quibus infeſtatur aegrotus, leviores reddunt; donec, idoneis medicamentis adhibitis, humore per cutem, his agentibus, elicito, extremum ubique corpus prorſus maduerit.

Sanguis, incipiente Rheumatiſmo, miſſus, fere ſemper, aeque ac omnibus aliis in morbis qui ad Genus *Phlegmaſiarum* pertinent, pellicula † coriacea alba obducitur. Quoniam vero hoc variis ex rebus, quae inter mittendum accidant, pendet, ideoque judicium medicorum, urgente quidem inflammatione, interdum dubium reddat; utrum ſit opus, ut mittatur ſanguis necne, ex ictibus arteriarum, et doloribus qui morbo laborantem afficiant, optime tutiſſimeque medici judicabunt.

Febris ſymptomata ſaepe evaneſcunt; et tamen, omnibus medicamentis incaſſum tentatis, omnique cura a medicis adhibita, dolores, tantummodo paulo leviores, manent. Quotieſcunque res ita ſeſe habeant, aliam ſibi formam

† Anglice, *Buffy Coat.*

formam assumit hicce morbus, et, in quod, *Chronicus* a medicis *Rheumatismus*, appellatum est, degenerat.

DIAGNOSIS.

Praecipui morbi, quibus, cum *Rheumatismo Acuto* est ulla fere similitudo, sunt Podagra, Syphilis, et Scorbutus.

Morbus, de quo hic agitur, *Podagra* dignoscitur Aetate, Sexu, Corporisque Habitu eorum quos afficit; Causis eum Excitantibus, quas corripit Partibus, et varia Symptomata, quae, currente morbo, urgeant, curiose observando. Podagra homines raro, ante trigesimum quintum aetatis annum, raro post, Rheumatismus, corripit. *Illa*, aetate graviores, eos praesertim, qui, juvenilibus virilibusque annis, sese luxui, desidiae, libidinibusque omnino dederant, potissimum invadit: Hic autem robustos, natuque minores, quamvis nec ventri, nec inertiae, nec peni deditos, maxime infestat; et, quinto aetatis anno trigesimoque exacto, fere semper evanescit,

evaneſcit, rariſſime rediturus. Praeterea, Rheumatiſmus, ex quadam extrinſecus cauſa evidente, veluti frigore admoto, oritur; dum Podagra aliquam abditam cauſam internamque agnoſcit, quam ſatis cognitam nondum habemus. Quinetiam, *haec* a patribus ad filios deſcendit; *is* raro, ſi unquam. *Unius* ſedes ſunt majores artus; tenuiores autem, praeſertim imus pedis pollicis articulus, *alterius*. Denique, qui ſaepe, intervallis interjectis, Podagra laboraverunt, eorum in articulis concreta quaedam materia, Terram Cretaceam referens, fuiſſe, morbo urgente, formata, reperitur: Cui nihil ſimile, in iis ſubinde Rheumatiſmo afflictis, anatomici adhuc explorando compererunt. Praeter notas ad Rheumatiſmum a Podagra diſtinguendum allatas, aliae complures, hoc in loco, ſi opus eſſet, memorari poſſent. Sed his jam recenſitis ſatis cognitis animadverſiſque, duo hi morbi, unus ab altero, ſatis internoſcantur.

Rheumatiſmus Acutus, a *Lue Venerea*, eo diſcernitur, quod, *hac* praeſente, dolores altius fixi, et mediis oſſium partibus inſidentes, aegrotum infeſtant: Dum, urgente *illo*,

illo, dolores, in extremis corporis partibus, ſedem habent; et curſum, ſecus muſculos tendentes, extrema oſſa, praeſertim ad artus craſſiores, infeſtiſſime occupant.

Rheumatiſmus quoque et *Scorbutus*, ratione utriuſque ſignorum adhibita, facile diſtinguuntur. Praeter enim vehementes dolores, quibus afficitur Scorbuto implicitus, eodem quoque tempore, adſunt manifeſta putreſcentium fluidorum indicia; mira debilitas et laſſitudo; lividae totum per corpus, ad imos praeſertim crines, maculae; et, denique, quibuſdam in partibus corporis, inuſitata, ad ſanguinem ſponte profundendum, proclivitas. Urgente autem Rheumatiſmo, tales nullae efflo-reſcunt maculae aegrotumque inſigniunt.

Rheumatiſmus Acutus perſaepe in *Chronicum* deſinit; et, ſi hoc accidit, duas has ſpecies ejuſdem morbi internoſcere, eſt in primis arduum et difficile. Quoties abeſt febris, quoties artus neque intumeſcunt neque rubeſcunt, ſed rigeſcunt frigeſcuntque; quoties ex iis ſudor elici nequit; quoties denique dolores, frigore admoto, ingraveſcunt,

ingraveſcunt, calore autem fiunt leviores; morbus, pro Chronico Rheumatiſmo prorſus habendus eſt.

Urgente hoc morbo, raro ulla febris ſigna, aut corporis ad Inflammationem proclivitas, adſunt. Sanguis e brachio miſſus nullam plerumque pelliculam coriaceam albam oſtendit. Arteriarum ictus neque pleni ſunt, neque validi. Artus corporis craſſiores hic morbus praecipue afficit; et varia nomina, pro variis quae corripiat membris, affecutus eſt: Si enim Lumbos infeſtat, *Lumbago* nominatur; ſi Coxam, *Dolor Iſchiadicus*. Quibus in artubus inſideat, ii rigeſcunt; quantulumcunque moti, aegroto dolent; atque, calore coeli et frigore cito alternantibus, facile afficiuntur. Dolores, potiſſimum frigore admoto, exacerbantur; calor autem eos leviores reddit, multumque ſolatii praebet vexato aegroto. Aliae complures ſunt notae, quibus Acutum Rheumatiſmum dignoſcere Chronico medici ſolent: Eas vero omnes recenſere, nos longius ab incepto traheret. Neque rei quidem noſtrae multum expediret, plura hic dicere; praeſertim cum, quas notas jam memoratas habuimus, eae has Rheumatiſmi ſpecies ſatis inſignient.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Harum duae ſunt ſpecies, eae ſcilicet quae Rheumatiſmum *excitant*, eaeque quae corpus humanum ad eum *pronius reddunt*.

Omnes inter cauſas quibus Rheumatiſmus *excitatur*, frigus externum, variante ſimul coelo, longe, prae caeteris, plus pollet. Exinde fit, ut, in frigidis regionibus, quam calidis, in Vere Autumnoque, quam Hiemalibus Aeſtiviſque anni tempeſtatibus, homines ſaepius acerbiuſque invadit.

Quo modo frigus in corpus humanum agat, multi explicare conati ſunt. Putant aliqui, ante autem omnes JOANNES HUNTERUS, frigus, ſtimulando, agere; ſed tamen non aliter ſtimulare, quam excitando augendove mirificam eam calorem generandi potentiam, quam omni animanti naturam primitus tribuiſſe, nemine diſſentiente, conceditur. Eandem fere opinionem, ſed multo

luculentius explicatam, *Primis Practicae Medicinae Lineis* CULLENUS tradidit. Neque aliquid novimus, cur, hac de re, a tam praeclaris auctorum ingeniis, diſſentiremus.

Cauſae, quae corpora humana huic morbo *obnoxiora* faciunt, multiplices ſunt variaeque. In Rheumatiſmum ii, caeteris paribus, multo incidunt aliis proniores, quibus habitus eſt corporis ſanguineus plenuſque; qui, vitam inertes, deſides, ſocordeſque degunt; quique VENEREM nimis aſſidue ſtudioſeque colentes, nimiis quoque menſis lautioribuſque, ſomno nimio, caeteriſque cauſis vires imminuentibus, ſeſe dederunt. Uſitatae quoque evacuationes impeditae, vel omnino ſuppreſſae; Halitus, veluti, Cuticularis, Fluxuſque Menſtruus; permultum, ad hunc morbum inducendum, pollent. Ultimam ob cauſam, ſuppreſſos, ſcilicet, Menſes, mulieres hoc morbo affici proniores eſſe, quam mares, quidam exiſtimaverunt. Praeterea, ſi quis ſemel iterumque fuerit Acutis morbis affectus; ſi, his morbis urgentibus, medicamenta adhibita fuerint, quae corporis irritabilitatem auxerint; ſi conſtitutio corporis laeſa immodicis

evacuationibus

evacuationibus fuerit; vel si usitatae et salutiferae evacuationes subito fuerint repressae; Rheumatismus plerumque subsequitur. Hae enim res, corpus actioni Causarum morbum Excitantium, obnoxius reddunt.

CAUSA PROXIMA.

Quandam *specialem* in sanguine *acrimoniam* Rheumatismum producere, nonnulli existimaverunt; sed hanc opinionem, et Symptomata, et Causae Remotae, et medendi Ratio, omnino refellunt. Quo enim modo subitae caloris frigorisque mutationes acrimoniam efficere possunt? Quare haec Acrimonia, quasdam, prae caeteris corporis partibus, et non corpus potius universum, afficit? Quomodo sanguinis missio, caeteraeve evacuationes, acrimoniam, quae, etiamsi eam revera adesse concedamus, tamen minime unam in partem corporis agit, sed totum pervadit, tollere vel obtundere possunt?

Ob has igitur causas, aliasque his consimiles, acrimoniam, hoc in morbo, revera in sanguine existere, medici jamdudum,

jamdudum, ut negent, adducti fuerunt. Minime autem negari poteſt, acrem materiam nervo admotam, quiddam vitii, Rheumatiſmo ſimilis, inducere poſſe. Hujuſmodi enim exemplum habemus in dolore, qui a dente carioſo movetur.

Lentorem ſanguinis proximam eſſe cauſam Rheumatiſmi Acuti, multi quidem medici propterea putaverunt, quod ſanguis ex brachio cujuſvis hoc morbo laborantis miſſus, pelliculam coriaceam albam tam ſaepe oſtendit. Ex experimentis autem HEWSONI ſatis conſtat, ſanguinem eorum, qui phlogiſticis hujuſmodi morbis laborant, non modo non ideo viſcidiorem reddi, ſed etiam revera ſolito eſſe rariorem: Is enim auctor, ſanguinem denſa pellicula coriacea obductum, ſemper lentius concreſcere, obſervavit.

Quoniam, his de cauſis, aliiſque quas memoratu facile eſſet, neque *Acrimoniam*, neque *Lentorem, ſanguini*, in Rheumatiſmo, ineſſe, vel hunc producere, credere poſſumus; proximam quandam aliam, veri ſimiliorem, morbi cauſam afferre, nobis tentandum eſt. Ex cauſis

huc

huc uſque allatis, nulla aeque apte iis congruit ſignis, quae, durante hoc morbo, urgent, ac ea quam Profeſſor noſter celeberrimus attulit, quaeque adeo fuit medicis probata, ut omnes, hac de re, contemplationes antea commentatas, prorſus infirmaverit. Hic enim auctor, proximam Acuti Rheumatiſmi cauſam, ei caeterarum inflammationum, quae non ex directo pendent ſtimulo, ſimilem eſſe, cenſet: Frigus, ſcilicet, admotum, extrema vaſa, extremo in corpore, conſtringere; et, eodem quoque tempore, ea, totum per curſum, firmiora facere: Indeque ſanguinis impetum in parte affecta augeri, et phlogiſticum toti corpori Diatheſin induci.

Hoc in morbo, muſculorum quoque fibrae, quemdam ad modum ſibi proprium, affici videntur: Aliquatenus enim rigeſcunt, difficulter moventur, et tantulum quidem motum tentanti dolent aegroto. Dolores curſum, ab uno artu, muſculorum via, ad alium, tendunt; et eos, extremis in muſculis, aegrotus propterea acerbiſſimos ſentit; quod muſculorum oſcillationes, ultra ipſos muſculorum fines, propagari nequeunt. Eadem ratione, quomodo nimiae muſculorum intenſiones, contuſiones,

ones, aliaque his consimilia, Rheumatismum inducant, aliqua ex parte, explicari potest.

PROGNOSIS.

Ex sociatis multorum experientiis, Rheumatismum vix unquam mortem afferre, satis constat: Veruntamen rara sunt quaedam exempla hominum, qui hoc morbo perierunt. Interdum enim accidit, ut, postquam usitata omnia remedia adhibita fuerint, Acutus Rheumatismus in Chronicum transit, vel in Anchylosin, vel insanabilem Artuum Rigiditatem definit. Caput interdum corripere, et quidem Pulmones, dicitur; eamque ob rem, Apoplexiam Peripneumoniamque eum consequentes nonnunquam videmus. Hoc cum accidit, morbus, aliis opinantibus, ad Podagram potius, quam Rheumatismum, referendus est.

Si morbus hicce diu duraverit, et aegrotus magnopere fuerit morbo debilitatus, quod autem rarissime accidit, *Prognosis* valde erit anceps et incerta. Contra

ea,

ea, ſi idem hic morbus, hominem aetate florentem, caeteris a morbis vacuum, corripuerit, ſed nondum inveteraverit; ſi febris ſymptomata ſint levia; ſi noctu copioſus erumpat ſudor, et dolores, eo fluente, ſeſe remittant; ſi in Urina multum craſſaminis lateritii ſubſidat; ſi, Haemorrhagia vel Diarrhoea urgente, vel cute efflorescente, febris ſigna miteſcant; denique, ſi aegrotus nunquam antea fuerit eodem morbo affectus: Tunc nihil fere periculi extimeſcendum eſt.

Rheumatiſmus plerumque reſolvitur; perraro in ſuppurationem, nunquam in gangraenam vel ſphacelum, deſinit.

RATIO MEDENDI.

Ex ſupra dictis ſatis conſtat, morbum, de quo, hac in Diſſertatione, agitur, ad Genus *Phlegmaſiarum* pertinere. Eo igitur urgente, inuſitata totius corporis ad inflammationem proclivitas, una cum extremorum ſpaſmo vaſorum, adeſſe conſpicitur. Eodem quoque tempore,

nimium

nimium ſanguinis in partibus, quibus infidit morbus, cumulatur; quod adauctum ſanguinis in iis impetum ſuſtineat. Ex hiſce ſignis obſervatis, ea *medendi Ratio*, quae ſociatis peritiſſimorum medicorum experientiis maxime eſt conſentanea, fluere videtur. Quaenam haec ſit et qualis, nunc quam breviſſime diſſeremus.

Conſilium *Acuto Rheumatiſmo* medendi triplex eſt. Ut enim

I. *Phlogiſticam* totius corporis *Diatheſin* tollamus;

II. *Spaſmum* extremis vaſis *inductum* vincamus; et,

III. *Sanguinis* in parte laborante *impetum* minuamus, opus eſt.

CONSILIUM PRIMUM.

Ad hoc efficiendum, *Sanguinis Miſſio*, *Medicamenta Cathartica*, et qualis conveniat *Diaeta*, omnibus praecaeteris remediis pollere videntur.

Horum

Horum omnium remediorum, *Miſſio Sanguinis*, ad Phlogiſticam Diatheſin imminuendam, et, eam ob rem, morbo quoque medendum, optime accommodatur. Ineunte itaque morbo, ſanguis large mittendus eſt; et, ſi ex vena craſſiore, exitu quoque libero, expedite fluat, multo, ac ſi res aliter eſſent, magis laboranti proderit. Inter enim omnes fere medicos convenit, perpaucas ſanguinis uncias hoc modo extractas, ad vaſa ſanguifera laxandum, multo plus pollere, quam quantitas triplo major, ſi ex tenui vena, exitu ſimul impedito, fluxerit. Libra, ſedecim uncias continens, ex adulto, uno tempore, extracta, plerumque copia ſatis magna habetur. Sed quantitatem mittendam, ex variis ſignis morbi, caeteriſque quae accidant rebus, melius tutiuſque ediſcemus. Si enim, poſt ſanguinem primo miſſum, febris, arteriarum ictus pleni durique, et dolores acerbi, nihilominus manent; tum vena iterum incidenda eſt. Sanguis, ad quantitatem quatuor vel quinque, ad maximum, librarum, tot dierum ſpatio, tute extrahi poteſt.

Medicorum nonnulli monent, ſanguinem iterum iterumque mittendum eſſe, dum pellicula coriacea alba

omnino evaneſcat: Sed quoniam, ut antea dictum eſt, hac de re magnopere errare poſſumus; talis uſus, me ſaltem opinante, non ſolum pro temerario, ſed etiam pernicioſo, habendus eſt. Quidem non defuerunt aliqui, qui copioſam ſanguinis miſſionem, et quidem iteratam, inter primos morbi dies, multum commendatam habuerunt: Nobis autem hic obſervandum eſt, nimium ſanguinis, morbo incipiente, miſſum, multum poſtea obſtare, ne a morbo convaleſcens priſtinam ſanitatem cito recipiat. Sanguis itaque, Acuto quidem Rheumatiſmo urgente, caute mittendus eſt; eoque magis, quod, hunc morbum ſaepe in Chronicum deſinere, nemo ignorat. Hoc, cum accidit, et aegroto affert moleſtiam, et medicum conſilii inopem plerumque facit.

Praeclarus PRINGLIUS, in ſuis de *Morbis Militaribus* Obſervationibus, cenſet, ſanguinem, hoc morbo urgente, ſaepe, imo fere in dies, mittendum eſſe, donec dolores vel jam remiſerint, vel ſaltem miteſcant. SYDENHAMUS quoque, nulli fere medicorum ſecundus, ſimilem medendi uſum, aliis anteferendum, cenſuiſſe videtur.

Medicamenta

Medicamenta Cathartica, ſi eodem tempore, quo alvum moveant, non totum corpus ſtimulent, permultum quoque ad Phlogiſticam Diatheſin tollendam vel ſaltem minuendam proſint. Quoties requirantur haec medicamenta; quae alvum leniſſime cient, ea, prae caeteris, adhibere medicos oportet. Hujus generis ſunt, Cremor Tartari, Manna, Pulpa Tamarindorum, Caſia, et Sal Rupellenſis.

Sydenhamus, ſanguine bis terve jam miſſo, Catharticum, ſecundo quoque die, adhibere ſolebat. Alvi Purgatio, ad totum corpus laxandum, ideoque ad minuendam irrationem retentis excitatam faecibus, potiſſimum confert. Verum minime tamen ad tollendam Phlogiſticam Diatheſin aeque, ac Venaeſectio, pollet. Praeterea, ſi morbus totum corpus infeſtat, ſi acerbi ſunt dolores; tum crebrae alvi dejectiones, utpote quae laboranti et motum et excruciantem dolorem afferant, tolerari non poſſunt. His de cauſis igitur, *alvum moventia*, hoc in morbo, parce adhibenda ſunt.

Clyſmi

Clyſmi quoque *Emollientes*, pro re nata injecti, induratas craſſiorum inteſtinorum faeces deorſum expellendo, eamque ob rem hebetando irritationem, plurimum proſunt.

Per totum hujus morbi decurſum, *Diaeta Antiphlagiſtica* veſci aegrotum oportet. Carnibus, et Spiritu quoque Vini omnigeno, ſeduliſſime abſtinendum eſt; pro quibus Diaeta ex Terrae Frugibus et Lacte, maxima ex parte, confecta, vivi commodiſſime poteſt. Multus quidem Seri Lactis uſus, SYDENHAMO teſtante, eſt nonnunquam perutilis. Res omnes irritantes, quae corpori admotae, velocitatem ſanguinis impetumque adaugent, maximo opere vitandae ſunt. Morbo quoque implicitum oportet, neque muſculos movere, neque multum vel alta voce eloqui; et potius extento corpore decumbere, quam ſedere erectum. Die veruntamen, aegroto, paucas horas, ex lecto ſurgere, idcirco liceret, quod calida ſtragula dolores multo reddant acerbiores. Inter autem ſedendum, permultum adhibendum eſt curae, ne, ſudore manante, frigore afficiatur.

CON-

CONSILIUM SECUNDUM.

Medicamenta, quae ad *Spaſmum* extremis vaſis inductum vincendum, accommodantur, ea ſunt, quae *fluida* ad extremum corpus *eliciunt*. Ejuſmodi, *Diluentia*, *Sales Neutrales*, atque omnes, praeterea, res quae *Vomitionem* et *Sudorem* movent, praecipua videntur.

I. *Diluentia*, quidem antequam ſudor erumpere inceperit, adhiberi poſſunt. Sed, hoc manante, eorum mitiſſima, ad eum adhuc magis eliciendum large data, multo magis laboranti proderunt. Ad hunc finem, Decoctum Avenaceum optime accommodatur. Dum manat ſudor, aegrotus Induſio Laneo ſemper amiciri debet; quod et Diaphoreſin ſuſtineat, et Sudorem abſorbeat. Lintea autem Induſia neutri ex his uſibus inſerviunt, ideoque minime Rheumatiſmo laborantibus accommodantur.

II. *Sales* quoque *Neutrales*, idonea quantitate adhibiti, ad hoc idem conſilium efficiendum permultum pollent.

pollent. His in ventriculum assumptis, cutis haud multo post calescit, et, si corpus modice calidum servatur, quoque sudor paulatim incipit manare. Quam ob rem, nimium Cordis et Arteriarum impetum imminuunt; Secretiones Excretionesque adaugent; et saepe optimo successu adhibentur.

III. Necnon *Medicamenta Emetica*, causa *fluida* ad extremum corpus *eliciendi*, saepe data commodissime fuerunt. Hoc autem consilio *plena Vomitio* nunquam adhibenda est. Vomitu enim urgente, ita vehementer concutitur corpus, ut morbi symptomata plerumque ingravescant. Praeterea, haec medicamenta in dosibus, ad *Nauseam* tantum excitandam aptis, adhibendo, et periculum morbum reddendi graviorem vitemus, et, eodem quoque tempore, omnia ex iis commoda percipiamus. Hoc enim modo data, Halitum Cuticularem faciunt uberiorem; Cutem ipsam humectant; inde febris Symptomata mitigant; atque Alvum, maxima ex parte, leniissime movent. Omnibus medicamentis, quae tales praestant effectus, Tartarum Emeticum longe anteponendum est.

IV.

IV. *Medicamenta* denique *Sudorem* moventia, plurimum, ad *Spaſmum* ſolvendum, ideoque ad Morbum ipſum tollendum, plerumque pollent. Poſt Diatheſin Phlogiſticam Sanguinis Miſſione imminutam, medicamenta *Sudorem* facientia, rite ſi adhibita fuerint, morbum fere ſemper ſolvunt. Hujus generis medicamentorum, Pulvis Doveri, utpote qui cito ſuos effectus praeſtet, eamque ob rem, plus pollere videatur, prae omnibus anteferendus eſt. *Regimen*, quo, ſudore manante, uti morbo laborantes oportet, adeo omnibus innoteſcit, ut de eo perpauca tantum hic obſervare opus ſit.

Medicamina quae ſudorem eliciant mane fructuoſiſſime adhibentur; et quia aegrotus tum inſomnis eſt, et quod, eo tempore, variae ſecretiones optime perficiuntur. Quibuſdam medicinam facientibus, dare Pulveris Doveri Seſquidrachmam, vel duos, ad boli modum, Scrupulos, pro doſi, mos fuit. Permulti autem aegroti tantam quantitatem propterea ſufferre nequeunt, quod interdum Nauſeam Vomitumque excitat. Praeclarus GREGORIUS monet, ut Decem Grana adhibeantur, et omni hora iterentur, donec eruperit ſudor. Medicamentum

tum hoc modo datum, raro Nauſeam affert; et ſaepe ab ILLO tentatum, fomentis inferioribus partibus corporis, laxandi cauſa, ſimul admotis, optandum exitum habuit. Sudor, per duodecim horas, vel viginti quatuor, vel interdum quidem triginta ſex, pro aegroti conditione, et ſignis morbi, eliciendus eſt.

CONSILIUM TERTIUM.

REMEDIORUM, quae ad hunc finem pertinent, *Sanguis* ex parte affecta *miſſus*, atque *Veſicatoria* eidem admota, efficaciſſima habentur. Sanguis, vel *Cucurbitulis*, vel *Hirudinibus* parti, cui inſideat dolor, applicatis, mitti poteſt. Hirudines, praeſertim ſi rubeſcat artus intumeſcatque, Cucurbitulis anteponendae ſunt; propterea quod partis irritabilitatem minus augent. Veruntamen non defuiſſe medicos, et eos quidem celeberrimos, qui, has Cucurbitulis poſthabendas eſſe, exiſtimaverunt, nobis confitendum eſt.

Veſicatoria

Veſicatoria quoque permultum, hoc in morbo, adhibita fuerunt; et, quoties dolores uni potiſſimum parti inſideant, plurimum, ſine dubio, profint.

Balneum itidem *Tepidum*, Rheumatiſmo laboranti nonnihil ſolatii afferre, medicorum complures exiſtimaverunt. Balnearum autem deſcenſio, quoniam quaedam aegroto ſecum incommoda afferat, omnino omittatur; et, in ejus locum, fomenta melius commodiuſque ſubeant.

Nec non, hoc morbo urgente, aliquando ad *Corticem Peruvianum* decurſum eſt. Hoc autem medicamentum raro optatos effectus praeſtat, et, quibuſdam in caſibus, nocet. Id igitur nunquam adhibere, niſi poſtquam Diatheſis Phlogiſtica multum ſeſe remiſerit, et, eodem tempore, ſubſederit urinae craſſamen, medicum oportet. Si vero morbi acceſſiones, iiſdem temporis ſpatiis intervenientibus, redeant, nonnihil forſan commodi aegrotanti afferat.

Denique, *Mercurius Dulcis*, et alia non pauca medicamenta, ex Argento Vivo in varias, variis rebus miniſtris, formas redacto, confecta; ſaepe, et, ut fertur, ſucceſſu, tentata fuerunt. Sed haec medicamina, quibus natura tanta vis ſtimulandi ineſt, ad Chronicum Rheumatiſmum, quam ad Acutum, tollendum, multo, me ſaltem judice, melius accommodantur.

FINIS.